

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertatio Theologica Inavgralis De Acqvirenda Vitæ
Sanctitate, ...**

Lütkemann, Timotheus

Gryphiswaldiæ, [MDCCXXXVIII?]

VD18 13281119

[Dissertatio Theologica Inavgralis De Acqvirenda Vitæ Sanctitate, ...]

urn:nbn:de:gbv:45:1-15706

Conspectus Dissertationis.

- | | |
|--|--|
| <p>§. I. De vocabuli Sanctitatis significatione.</p> <p>§. II. Sanctitas vitæ a nobis requiritur.</p> <p>§. III. Quid sit sanctitas vitæ.</p> <p>§. IV. Subjectum ejus sunt Angeli & Homines.</p> <p>§. V. Horum soli Regeniti ejusdem sunt capaces.</p> <p>§. VI. Deus sanctitatem operatur, & ejus consequendæ media largitur.</p> <p>§. VII. Acquisitio sanctitatis est possibilis.</p> <p>§. VIII. Licet aliter homini naturali videatur.</p> <p>§. IX. Ob impedimenta in & extra ipsum obvia.</p> <p>§. X. Illuminato difficultas sanctitatis disparet.</p> <p>§. XI. Qui non ratione corrupta, sed revelatione divina utitur duce.</p> | <p>§. XII. Baptismus in infantibus sanctitatem operatur.</p> <p>§. XIII. In adultis per verbum divinum sanctitas producitur.</p> <p>§. XIV. Quod in illis operatur agnitionem peccatorum.</p> <p>§. XV. Et offert Christum fide apprehendendum.</p> <p>§. XVI. Quod si fiat, sequitur ipsa justificatio.</p> <p>§. XVII. Justificatus homo sanctus est Deumque recte colit ac diligit.</p> <p>§. XVIII. Proximum amore prosequitur sincero, & ipsi officia debita præstat.</p> <p>§. XIX. Semetipsum sobrie diligit, tamque menti, quam corpori proprio, prospicit.</p> <p>§. XX. Hinc status felicissimus oritur hominis, qui veram vitæ sanctimoniam servat.</p> |
|--|--|

§. I.

Sanctum est, voce in sensu latissimo accepta, quod ab usu communi separatum præstantiori reservatur usui, & opponitur rei viliori & ubivis obviæ. Est enim vox *sanctum* a verbo *sancire*, religiose

A 3

insti-



instituere, stiften. Idem ab Ebræis effertur voce קָרְבָּן a radice קָרַב destinatum, vel consecratum fuit. Hinc vox sanctitatis significat inviolabilitatem rei, aut Personæ, cui tribuitur. Conf. FLACIVS in clavis scripturae sacrae. In latiori significatu omne id sanctum, vel sacrum, dici solet, quod ad religionem pertinet, ita, ut ipsæ etiam res inanimatæ, templa, altaria, vestes, &c. hoc prædicato superbiant. Quandoque etiam vox sacer adhibetur de rebus abominandis, quæ horrorem excitant. Quo sensu famen auri sacram, i. e. execrandam, detestandam, dicit Virgilius L. III. Aeneid. Germanicum heilig sine dubio est ab heil / quasi dicas: salutiferum, vel, si de Personis adhibeatur, saluti inhiantem. Nemini enim sanctitatis prædicatum jure competit, nisi qui salutis veræ ac æternæ cupidus est, eandemque a Deo cum fiducia exspectat. Quippe quo propius ad sanctissimum Deum accedimus, eo sanctiores dici possumus. Et hic est conceptus strictior sanctitatis, qui omnium mentibus hæret, sive veram religionem amplectantur, sive ab eadem aberrent. Nam & Gentiles Heroas suos, ut sanctos, venerabantur, eo quod familiarius eum Diis suis commercium ipfis, licet falso, tribuebant; imo etiam illos post fata ut Deos colebant. Parem sanctitatis opinionem in Ecclesia Romano-Pontifica multi per abstinentiam & apparentem sui abnegationem sibi acquisiverunt. Sanctitas itaque vera a spuria probe discernenda; nec ea, quæ speciem, sed, quæ rem ipsam refert, amplectenda est.

§. II.



§. II.

Requiritur Sanctitas a nobis, idque de jure, cum conditi sint homines in concreata *justitia & sanctitate* Eph. IV. 24. Sequitur enim ex natura Dei, ut sanctitate delectetur, & eam extra se quoque amet. Quare homines ex sola consideratione divinæ naturæ de obligatione sua in sanctimoniam incumbendi convinci possunt. Sed uberior voluntatem suam exponit Deus in sacra scriptura, cum sanctitatem exsertis verbis a populo suo poscit. Lev. XIX. 2. *Sancti estote, quia sanctus ego sum, Dominus Deus noster.* Similis excitatio occurrat C. XX. 26. *Sancti mibi estote, sanctus enim ego sum Dominus; vos vero separavi a Gentibus, ut mibi sitis.* conf. Lev. XI. 44. & Exod. XXII. 30. Quod mandatum repetitur in Novo Testamento 1. Pet. I. 16. Non solum pro absoluto suo in homines imperio Deus sanctitatem creaturæ suæ ratione donatæ injungit, sed etiam, ut indulgentissimus Pater, persuadet hominibus, ut eandem sectentur. Rationibus utitur stringentibus, dum ad propriam provocat sanctitatem, vultque, ut homines se, *Zebovam & Deum ipsorum*, intueantur, qui *sanctus* sit. Cum itaque Ipse ut Deum ipsorum se declaraverit & demonstret, qui illos amore prosequatur purissimo, beneficiis cumulet & semetipso exsatiare paratus sit: nihil magis æquum & justum esse, quam ut pariter amore sincero Deum amplectantur, eoque allaborent strenue, quo ipsi placeant, ipsi assimilentur, & ad amissam imaginem divinam, quo possit fieri modo, iterum pertingant; idque eo magis, quod *separaverit* Deus Populum Israeliticum, quem hic

11-1111



hic alloquitur, ut *ipſi ſint* proprii, ex quo il-
lis incumbat, ut prætantiam præ Gentibus ipſis con-
ceſſam, ſpeciali nimirum revelatione veri cultus di-
vini, cuius reliqui Populi penitus erant ignari, ſedu-
lo conſervent, ſequi ut Dei proprios conſiderent &
exhibeant. Ex dictis temere quispia m inferret, a
nemine, præter Israelitas, ſanctitatem requiri. 1) Enim
Petrus *l. c.* omnibus Christianis eandem imperat, qui
tamen non omnes a Judæis erant oriundi. 2) Nec ex
ſeparatione posterorum Abrahæ a reliquis Gentibus
conſequitur, illos ſolos ad ſanctitatem eſſe obſtrictos.
Nam exklufio a prærogativis temporalibus, Israelitis
a Deo confeſſis, non tollebat in Gentibus obligatio-
nem ad ſanctitatem ſectandam. Separatio vero ſpon-
tanea reliquorum populorum a vero Deo, & idolo-
latriæ veſanum ſtudium, illos quidem longiſſime a
vera ſanctitate removebat, ſalvum tamen manebat jus
Dei eandem ab ipſis exigendi. Paterna quoque Nu-
minis mens, qua cultrarum ſanctitatis ſuis inculcare
ſtudet, egregie conſpicitur ex *Ebr. XII. 14.* Ubi ſectari
sanctimoniam jubemur, ſine qua quippe *nemo Dominum*
viſurus ſit. Damnū ex neglecto ſanctitatis ſtudio
metuendum hic ob oculos ponitur, quod nimirum
visione Dei excidamus, atque hinc in hac & futura
vita fruitione hujus ſummi boni privemur. Ex ad-
ductis ſeria Dei voluntas, quæ ſanctitatem a nobis po-
ſtulat, inſimulque noſtrum debitum eandem exco-
lendi ſatis ſuperque eluſcet.

§. III.

Sanctitas regenit is inhæret, non ſolum respectu
animæ, ſed & corporis. Utrobiique vero non illa mor-
tuum



tuum quid est, sed vivum & activum. Intelligit anima piorum, luce divina illustrata, pro modulo cognitionis in his terris Deum, & quæ Dei sunt, inque iisdem ulterius rimandis sedulo & debite occupata comprehenditur. Hinc a profanis, spureis & impiis cogitationibus abhorret, &c, licet tales semet intellectui sponte sua offerant, resistit tamen, & ideis sanctis, uti, mirum quantum, iisdem oblectatur, pro virili indulget. Voluntas sanctificata cupide elit & arripit, quæ intellectus ut optima exploravit & præsentavit; unde cautum sui ipsius regimen oritur, quod etiam ad corporis actiones se extendit, & quo ipsa quoque imaginatio compescitur, ne extra oleas vagetur. Corpus & membra regenitorum ut sancta *victima* Deo offeruntur *Rom. XII. 1.* ipsique εἰλικρεῖς & ἀπέστολοι sistuntur *Phil. 1. 10.* Et hæc est sanctitas illa vitae, quæ in conformitate actionum hominis regeniti cum lege Dei consistit, non latens nec obscura, sed aperte conspicua, virtutes omnes christianas complectens, iisdemque sine fuso dans operam, quæ imaginem Dei in homine instauratam refert. *Conf. B V D D. Inst. Theol. Mor. P. I. C. III. §. III.* Dicitur etiam vita spiritualis, cum Spiritus Sanctus eandem operetur & conservet, & homo, cui inest, *spiritualis homo* appellatur *1. Cor. II. 15.* cui sobrium de omnibus rebus judicium tribuitur *t.c.* Ad hanc itaque sanctam & spiritualem vitam necessarium est ut homo se totum, qua corpus & animam, ad præscriptum Numinis, non coacte, sed sua sponte, non segniter, sed integerrimo studio componat, ut anima & corpus conjunctim Deo serviant, ut intellectus, vo-

B

lun-



Iuntas, imaginatio & omnes actus corporis, in sanctum finem collineent. Quisquis igitur justum de se aliisque judicium ferre cupit, utrum vel propria vel aliorum vita reipsa pro sancta sit habenda, ipsi necessum erit, ut animae præcipue dispositionem expiscetur; per apparentem enim sanctitatem, quæ ex morum & actuum externorum natura solummodo desumitur, facilime decipimur, cum fieri possit, ut hypocritica vita pro sancta reputetur; quemadmodum e contrario vere sancti quandoque tanquam profani traducuntur, quod contingit, si illi, qui inconsiderate de his judicant, mentes suas præconcepit opinionibus imbuerunt, atque adeo de vera sanctitate minus recte sentiunt. Hi quippe filios Dei ut sanctitatis osores & contemtores convitiis proscindunt, id quod Apostolis Jesu Christi non minus accidit, quam plerisque veritatis testibus, qui doctrina & vita spuriam sanctitatem destruere allaborarunt. Neque tamen hinc sequitur, sanctitatem vitae in piis prorsus latere; si enim vel maxime hominibus illa fuit ignota, tamen *absconditus cordis homo Deo detectus est & coram illo pretiosus*, i. Pet. III. 4.

§. IV.

Subjectum sanctitatis præter Deum, omnis sanctitatis fontem, qui per se & sua natura sanctissimus est, sunt Angeli & homines. Illorum pars, ob servatam justitiam concreatam, in bono confirmata & a peccatis aliena, pars per lapsum splendorem, in quo condita est, & omnem simul sanctitatem amisit, cuius recuperandæ spes omnis illi penitus evanuit. Hi, scili-



scilicet homines, integritatem, ex munificentia Creatoris ipsis naturalem, per Protoplastorum transgressionem amiserunt quidem, sed restitutio ejusdem non prorsus illis denegatur; ita quidem, ut, si in filios Dei regenerari se patientur, nec oblatæ gratiæ resistant, sanctitatem illi recipere queant; sed, quo usque in statu naturali & peccaminoso persistunt, ab eadem exclusi manent. Qui autem irregenitorum nomine veniunt, dupliciter considerari possunt. Alii enim in *statu securitatis* vivunt, quibus propensiones pravæ summa sunt lex, qui sine lege vivunt, certe eadem semet coerceri non patiuntur, sed concupiscentiis suis effrenes indulgent; quare nil minus eis, quam sanctitas, curæ cordique est. Alii *sub servitute legis*, seu in *statu legali*, degunt, & sanctitatem apparentem affectant, qui, lege Dei perterrefacti, a peccatis gravioribus abstinent, & opera, qua speciem externam bona, perpetrant, cum interim servilis metus mentes eorum occupatas teneat; unde fit, ut, licet videoas, Hypocritas & superstitionis omnia accuratissime observare, quæ cultum Dei simulant, veram tamen in iis sanctitatem minime deprehendas.

§. V.

Remotis itaque a vera sanctitate tam malis Angelis, quam hominibus impiis & irregenitis, sequitur, in solos regenitos inter mortales sanctitatem vitæ quadrare. Hi enim ex amore Dei, in ipsis per fidem accenso, sectantur sanctimoniam, non impulsu metu servili, sed animo propenso, in complacentia Dei sui omnium maxime acquiescentes, & non sancti

B 2

videri



videri solum, sed esse cupientes; ita quidem, ut ex
 conformatis ipsorum, quantum in hac infirmitate fi-
 eri potest, ad legem Dei moribus, & integritate vitæ,
 (quatenus propter peccatum sibi adhærens eandem
 assequi possunt,) quanto studio ad rectitudinem cordis
 impetrandam ferantur, appareat, &, deponendo sche-
 mati hujus mundi, abnegationi seculi, sui ipsius &
 phantasie Satanæ, pro virili se dare operam, decla-
 rant omnibus. Parum curant, sive aliis, non recte
 judicantibus, placeant, sive minus, non approbatio-
 nem filiorum vanitatis quærentes, sed ea præprimis
 summo studio agentes, quibus Deo & piis sese pro-
 bent; nam *cibus est ipsorum*, ut faciant voluntatem ejus,
 quem ut *Patrem suum cœlestem* venerantur, exemplo
Christi Job. IV. 34. Nec seria hæcce sanctitatis cu-
 ra sperato destituitur successu, sed reipsa regeniti
sancti sunt, & hoc nomen pretiosum jure gerunt.
 Divus enim Paulus seipsum vocat *omnium sanctorum*
minimum Eph. III. 8. adeoque sibi & aliis sanctitatis
 adjudicat prædicatum, quo ipso antecedente *v. 5.*
 omnes Apostoli insigniuntur. Et, ne alias ab hac glo-
 ria remotos putas, qui inter Apostolos non nume-
 rantur, attendas ad *Rom. XV. 26.* ubi membra Ecclesiæ
 Hierosolymitanæ *Pauperes Sancti* appellantur. Conf.
Rom. I. 7. 1. Cor. VI. 11. Ebr. X. 10. Notandum tamen,
 quodsi a *Christi Sanctitate* regeniti dicantur *Sancti*,
 dum nimirum illa per fidem his imputatur, eosdem
 perfecte justos esse, qui, remissis peccatis, nullius im-
 puritatis coram Tribunal Divino rei censentur; sed,
 quoniam Christus suam sanctitatem illis donavit, hu-
 jus



ius intuitu perfecte quoque sunt sancti. At, respectu sanctitatis vitæ & inhærentis multæ deprehenduntur in renatis imperfectiones, quæ sanctimoniarum perfectæ detrahunt. Nihilominus tamen etiam hoc respectu vere sancti sunt filii Dei, & ipse Deus ut tales illos insuetur, propter bonum ab ipso in iisdem productum, quod sua gratia indies auget, malum contra piis adhærens infringit & debilitat, excitatque eos & alacres reddit ad debellandum peccatum, ut concessis sibi viribus spiritualibus non segniter utantur.

§. VI.

Quemadmodum vita naturalis a Deo est, & ad eam consequendam homo per se nihil omnino confert, sed productio humani generis a benevolo Dei placito tantummodo dependet, ita quoque sanctitas vitæ a nobis ipsis non est, sed Deum pro causa agnoscit. Concessit hic Protoplantis in creatione eum sanctitatis gradum, quem natura ipsis finita capere poterat, ita, ut perfectionem quidem sanctitatis divinæ non attingerent, sic tamen, qua animam & corpus, erant ornati, ut, si in hac gloria persistissent, Deo perfecte placuissent. Postquam autem in locum imaginis divinæ successit in homine peccatum, ut non illam, sed hoc Adami posteri per naturalem generationem reportaverint, restitutione deperditi thesauri opus est, sine qua sub morte spirituali manendum, & æterna pereundum omnibus fuisset. Vita quoque temporalis, ob maledictionem divinam misera multisque molestiis circumsepta, in infinitos cruciatus exiisset. Sola itaque gratia divina est, cui

B 3

acce-



acceptum ferimus, quod sancti esse queamus, cum talia nobis conferat, ad quæ naturalis homo ascendere nequaquam potest. Elegit enim Deus nos, ut ipsius simus proprii, & sanctitatis studium, quod in nobis excitat, promovere ac perficere paratus est. Pater hunc in finem misit Filium, ut vires ad colendam sanctimoniam nobis acquireret; nam a dominio tenebrarum nos eripuit & in regnum Filii sui Iesu Christi transposuit, Col. 1. 13. Filius redemit nos suo sanguine, & a morte spirituali, adeoque etiam æterna liberavit, largitur nobis suam justitiam, docuit nos sanctitatem vitæ exemplo suo 1. Pet. II. 21. sqq. sanctificat & conservat nos in vera sanctitate per media gratiæ, verbum scilicet Evangelii, & sacramenta divinitus instituta; quem in finem etiam pignus illud, Spiritum Sanctum, 2. Cor. I. 22. Cap. V. 5., Eph. I. 14. nobis donavit. Idem ille Spiritus sanctus, a Patre Filioque procedens, regenerat nos in filios Dei per verbum & sacramenta, dum in nobis producit fidem, sanctitatis basin & fundamentum, sine qua placere Deo non possumus. Ebr. XI. 6. Imo, huic tertiae Divinitatis Personæ sanctificatio singulariter adscribitur 1. Pet. I. 2. in quo quippe opere se manifestaverit, vocando nos per Evangelium, illuminando nos, & verum scripturæ sacræ sensum nobis recludendo, applicando nobis per fidem sanctitatem justitiamque Christi, sanctificando & conservando nos in vera & unica fide, ut simus oblatio, Deo accepta, sanctificati per Spiritum Sanctum Rom. XV. 16. Uno verbo, Deus sanctitatem in nobis operatur & conservat; ab hoc solo expectamus, ut sanctificet nos totos,

ut



ut Spiritus (gratia Spiritus Sancti in nobis) una cum anima & corpore inculpate conserventur in adventum Iesu Christi, 1. Thess. V. 23. Hac itaque via qui non incedit, sed Deum una cum mediis gratiae ab ipso ordinatis postponit & respuit, hujus omnis conatus ad sanctitatem pervenienti, uti ineptus, ita frustraneus erit, cum in impuritate cordis naturali persistens homo ab eadem longissime maneat remotus.

§. VII.

Frustraneam omnino navaret operam, quisquis a naturali & peccaminoso vitae statu ad sanctiorem & voluntati divinae conformem vitam transire niteretur, nisi possilitas constaret conatum huncce generosum & prorsus heroicum ad speratum certe, si non optatum, perducendi effectum; quare possibilitas hæcce probanda est. Namque fatendum est, hominem sibi relictum, ut in aliis sanctioris doctrinæ capitibus, ita in hoc quoque, quod de sanctis moribus præcipit, prorsus cœcutire, secundum effatum Pauliniū 1. Cor. II. 14., ita, ut, vel optima quæque de seipso sperans, vitam suam, qualiscunque demum sit, ita comparatam existimet, ut in illa nihil Deus desiderare queat, quem ut peccatorum Patronum sibi fingit, cuius misericordia (nimis proh dolor! extensa) compenset, quæ forte justitia poscat. Vel, si, conscientia, scelerum recordatione & legis divinae comminatione perterrefacta, Peccator sanctissimum Deum cum propria mentis impuritate confert, facile fit, ut de sanctitate assequenda prorsus desperet, & difficultate operis aggrediendi deterritus, manus eidem admove

vere



vere non audeat. Quo itaque error de invincibili sanctitatis difficultate mentibus eximatur, consulendum est verbum divinitus revelatum. Hoc quidem hominem deformem in oculis Domini declarat, cum in locum concreatæ justitiae & sanctarum propensionum in ipso successerit vana mens, obtenebratus intellectus, aliena a Deo vita, coecitas spiritualis, stultitia nefanda, hinc impietas, fastus, impudicitia, nequicia. Conf. *Eph.* IV. 18. Tamen idem illud verbum Dei

I. Docet, *hominem* per gratiam Dei in pristinum integratatis statum restituī posse, ita, ut restitutionis hujus initium in hac vita fiat, consummatio autem ejusdem ad futurum reservetur ævum. Sistunt enim sacræ literæ in prima fere fronte illum, per quem instauratio hæcce humani generis efficitur, Christum scilicet, qui promittitur in protovangelio *Gen.* III. 15., qui deinceps per Prophetas clarius, qua Personam, officium & status, describitur. Hic, ut verbum & sapientia hypostatica *Job.* Cap. 1. *Proverb.* Cap. VIII. sanctam & salutarem mortalibus 1) Propinavit doctrinam, cum veritas per idolatriam gentilium & Pharisaicam Judæorum justitiam tantum non penitus esset oppressa, quam reduxit in apricum, unicamque ad salutem viam commonstravit & explicavit, *Job.* I. 18., *Cap.* III. 2. *Matth.* VII. 29., *Cap.* XXII. 16., qua relictā, maxima hominum pars in devia proruebat. Exponebat idem ore sanctissimo ac Divino vitam coram Deo in Spiritu, & sanctissimas suppeditabat regulas, ad quas illa componeretur. Conf. *Matth.* Cap. V. VI. & VII. 2) Redemtionem Gentis humanae prestitit, ut credentes in ipsum ejus sanguini



sanguinis virtute ab omni peccati labe purgarentur.
 1. *Job. 1.7., Col. I. 14.* quo ipso via ad sanctitatem perveniendi peccatoribus aperitur. Destruxit enim Christus peccatum, quo minus sub sua potestate illud amplius devinctos tenere possit invitatos. 3) *Gratiosam præstat pietas assidentiam*, quam sanctitati operam dantes experiuntur ita, ut in illo manentes, per fidem ex ipso nutrimentum capiant spirituale ad ferendos fructus justitiae, quibus vita interna spiritualis manifestatur. *Job. XV. 5. Phil. I. 11., Gal. II. 20.*

II. Suppeditat eadem, quam numero præced, laudavimus, scriptura sacra, *latam divinitus & maxima cum pompa promulgatam legem sanctissimam*, Decalogo comprehensam, in qua Deus voluntatem suam circa agenda & omittenda exposuit, regulasque & normam perfectam, ad quam sanctior vita institui queat, præscripsit; id quod non frustra factum esse putandum. Licet enim ab eorum sententia quam longissime simus remoti, qui ex Decalogi promulgatione virtutem perfecte legem implendi homini naturalem inferre volunt, id quod pelagianizantes Pontificii & Sociniani adstruere non erubescunt, contra dicente licet revelatione, quæ per Legem hominem justificari posse, negat, *Rom. III. 20. 28., Gal. III. 11.* hoc tamen certo ex lege sancta concludimus, quod fuerit aliquando & futurus sit aliquis hominum status, ubi per concessas vires obedientiam erga Deum ad hanc amissim præstare potuerint ac possint, ut adeo per rigorem, in decalogo a nobis requisitum, Deus non induat naturam Tyranni, qui injusta & absolute impossilia poscat.

hA III

C

Quod



Quod enim in hoc statu corrupto plene adsequi non possumus, hoc per se tamen non est impossibile, cum utique ab homine integro præstari potuerit, & à regenitis hic inchoative & in futura vita perfecte præstari possit. Evanuit quidem illa rectitudo cordis, homini concreata, per primorum Parentum transgressionem, nec tantum peccatum originans, seu transgressio Protoplastorum, omnibus illorum posteris iuste imputatur, sed etiam *originatum*, ut in scholis loqui amant, seu ex transgressione protoplastorum orta naturæ humanæ corruptio, in cunctis actu deprehenditur, ita, ut a labe peccati immunem nemo sese pronuntiare jure queat, secundum effatum Apostoli *i. Job. I.* 8. Id quod non aliunde clarius, quam ex sui ipsius examine ad legem rigoroso, quilibet cognoscere potest, teste Paulo *Rom. VII. 7.* Eadem tamen illa *lex* fit nobis *pædagogus ad Christum, Gal. III. 24.* cuius virtute, quæ homini defunt, resarciuntur, quique per gratiam collatam sanctos nos reddit, non tantum, quod sanguine suo peccata nostra absterget, sed etiam, quod per hujus sanguinis efficaciam divinam nobis vires concedat ad sanctitatem vitæ pertingendi legique divinæ obedientiam præstandi in hac vita inchoatam, in futura vero consummatam. Si itaque sumnum Numen publicavit legem, non absolute impossibilem, & eosdem illos, quos peccati labe contaminatos esse novit, ad oboedientiam sacrosanctæ huic normæ præstandam, adeoque ad sanctimoniam vitæ, excitat & hortatur, uti §. II. ostensum est, sequitur, hanc impossibilem non esse.

III. Ad



III. Ad probandam sanctitatis vitæ in his terris possibilitatem provocare non dubitamus nubem testimoniū inter homines, qui suo comprobarunt exemplo, posse mortales ita vivere, ut Deo sint accepti eidemque placeant, si nimirum actiones & officia, ab ipsis præstata, ex fide procedant. Adjudicat ipsa scriptura sacra Noacho Patriarchæ *justitiam & perfectionem*, אִישׁ צָדִיק וְתָמִיד Gen. VI. 9. Laudatur Enoch, quod divinam egerit vitam, וַיֵּתֶה לְפָנָיו הָאֱלֹהִים Gen. V. 22. 24. idemque de Noacho affirmatur *Gen. VI. 9.* Conf. *Gen. XVII. 1.* De Davide dicitur, quod *Dei præcepta custodirevit*, & ipsum secutus sit toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu Dei *1. Reg. XIV. 8.*, appellatur idem *Vir secundum cor Dei Act. XIII. 22.* Similia testimonia de *Josua 2. Reg. XXIII. 25.* aliisque Sanctis in divinis literis occurunt. Præprimis notabile est exemplum Zachariae & Elisabethe, qui ab ipso Spiritu Sancto laudantur *Luce I. 6.* quod ambo fuerint justi coram Deo, & quod incesserint in omnibus præceptis & institutis Domini inculpate. Fides in Christum justos eos sistebat coram Deo, remissis peccatis. Quam gratiam Zacharias in cantico prædicat, ab ipso exspectans cognitionem salutis in remissione peccatorum *I. c. v. 77.* Demonstrabant hanc fidei justitiam per bona opera. Ipse Deus, in cuius conspectu ambulabant, probabat ipsorummet vitam, cum sinceram inveniret eorum obœdientiam, & ab hypocrisi alienam; unde nec homines habebant, quare de ipsis conquererentur. Conf. Jo. G E R H. *Loc. Théol. T. III. p. 43. sq.* Sed & præter adducta sanctitatis exempla, permulti, imo omnes regeniti, qua tales, sanctimoniae laudem reportant;



tant; quid quod, perfectio quædam illis adscribitur, cum Paulus dicat Phil. III. 15. *Quotquot perfecti sumus, hoc sentiamus.* Conf. Matth. V. 48. Cap. XIX. 28. i. Job. IV. 12. Abutuuntur equidem hoc asserto, qui affirmant ausu temerario, quod regeniti in hac vita legem Dei perfecte impleant: sed absit, ut consentiamus in hunc errorem. Nulla datur perfecta legis impletio in homine mortali, in quocunque demum statu eundem consideres, sive ut irregenitum, sive ut renatum. Hoc ipso tamen perfectio respectiva & conditionata in regenitis non tollitur, quæ, ut cum GERHARDO loquar l.c. est sincera illa renatorum, secundum totam legem, obædientia, in hac vita inchoata, in æternatandem vita consummanda, sine, est serium ac sincerum studium obædiendi Deo secundum omnia ejus præcepta, et si aliquid desit respectu graduum. Hoc certum est, quod æterios fiat homo Dei, (quo nomine Minister quidem verbi innuitur, sed nec alii regeniti excluduntur) ad omne opus bonum ἐξετισμένος, 2. Tim. III. 17. Et nisus ad legem servandam quoad omnes ejus partes non est mortuum quid, nec omni destituitur effectu, sed reipsa pius in renovatione maiores facit indies progressus. Hoc modo fideles Dei servos qui fuerit intuitus, ex eorum exemplo discere poterit, sanctimoniam vitæ non esse impossibilem, cum pii in his terris legem Dei non qua unam tantum, sed omnes ejusdem particulas, omni cura studioque servare & custodire nitantur, probe licet gnari, perfectionem quoad gradus suas transcendere vires. Unde remissionem defectuum suorum anxiis quotidie a Deo suo efflagitant suspiiris. Vid. Psalm XIX. 13. XXXII. 6. i. Job. I. 8. Jac. III. 2.

§. VIII.



§. VIII.

Possibilitas sanctioris vitæ, quam §. præc. adstruimus, non arridet homini naturali. Id tamen non est, quod mireris, cum ille aliam prorsus vitam eligat & vivat, quam, quæ sancta dici meretur; licet hanc quandoque moribus secundum apparentiam integris, mentiatur, nec unquam seria sanctimoniac, tanquam rei prorsus ignotæ, mentem ejus invadat cupidus. Nullus in irregenito datur Numinis amor, quod odiisse potius naturaliter censendus est, tanquam justum avouacis ultorem. Amori contra sui ipsius totus indulget, qui, cum abstinentiam externam a gravioribus delictis poscit, hominem ratione utentem eo quandoque adigit, ut, quæ corpori noxia sunt & animi quietem turbant, summo studio devitet. Hinc honesta illa, quam in prudentioribus Ethnicis invenimus, vita provenit, qua propriam quærebant existimationem. Suum cuique tribuebant, ne ab aliis injuria afficerentur. Ab obtrectationibus sedulo cavebant, ne calumnias in se provocarent. Temperantiae studebant, sanitatis conservandæ curam habentes. Non foret difficile demonstratu, si vitas illustrium inter gentiles virorum sub examen vocare placeret, quod virtutis ac pietatis species, quam ipsi præ se ferrebat, a proprii commodi studio rite derivetur. Animi quidem quietem quærebant illi, sed per externam istam honestatem eandem sibi comparare minime valebant. Tendebant ad virtutem, sed falsa virtutis notio seducebat ipsos. Imo, ne quidem illa meliora, quæ videbant & probabant, sequi se posse, ex-

C 3

perie-



periebantur, ut adeo, post multos exantlatos labores, perfectionem quæsitam vires suas transgredi, videbantur. Et unde sanctimonia vitaque Deo placens in iis nasceretur? Ex se ipsis eandem acquirere non poterant, quippe qui in peccatis funditus erant corrupti, & sanctimoniam per se nec acquirere, nec servare poterant; imo nec exspectabant eam a Deo, quem non noverant. Certe plurimi, qui inter Ethnicos ultra vulgus sapere sibi videbantur, de summi Numinis existentia dubitabant, quo notum illud spectat:

*Quum vexent mala fata bonos, ignoscite fasso;
Sollicitor, nullos esse, putare, Deos.*

Nullæ ergo seriæ preces ad ignotum illud Ens supremum fundi poterant, quæ tamen non minimam constituunt sanctæ vitæ partem, ejusdemque mirum parciunt incrementum. De immortalitate quoque animæ ambigua ipsis mens hærebat, adeoque *sine spe* vitæ æternæ futuræque virtutum remunerationis decedebant *i. Thess. IV. 13.* Quod autem Gentilium nonnulli mortem contemserint, prouti de *Socrate*, *Seneca*, aliisque constat, id quod non mediocris virtutis specimen videri poterat, hoc non a solida ipsorummet spe, quæ sine fide esse nequit, sed partim ab experientia multifariarum vitæ hujus calamitatum, a quibus liberari cupiebant, partim a spe bonæ famæ, post mortem superstitis, oriebatur. Multo quidem facilior ad sanctorem vitam via patet iis, qui in Ecclesia Christi externa vivunt, cum ipsis non sit, quod de defectu doctrinæ, ad salutem & sanctimoniam necessariæ, conquantur. Ex divinis namque literis Deum cognoscere,

&



& veram ipsius colendi rationem petere licet. Sed inde, qui usu hujus prærogativæ sponte carent, non melioris, sed deterioris potius conditionis sunt ipsis Gentilibus, dum per verbum Dei regenerari sese non patientur. Hi nimis viam, quam facili opera, observato salutis ordine, ingredi poterant, sibi ipsis præcludunt. Unde sanctimonia ipsis actu manet arx inaccessa, quam pro impossibili reputant. Impossibile ipsis videtur renuntiare pravis cupiditatibus. Impossible, a suetis desistere peccatis, nec erubescunt, si hortentur illos veræ pietatis cultores, desidiam suam facta hac impossibilitate palliare ac tueri. Produnt certe hoc modo profundam cordis sui nequitiam, quam tamen non impune ferent, veritatem effati Salvatoris veracissimi experturi *Mattb. X. 15. cap. XI. 21-24.*

§. IX.

Quod *fictum* paulo ante diximus impossibilitatem sanctitatis, hoc in sensu fit absoluto, cum nemini mortaliū semita ad vitam spiritualem absolute claudatur. Respectu etenim irregenitorum, qua talium, illa non est facta, sed *vera*. Certum omnino est, quam quod certissimum, vitam, Deo ipsisque voluntati conformem, a non renatis, qua talibus, attingi perficie non posse. Quemadmodum enim catenis vincitus usu libero membrorum corporis impeditur, & pedes claudus saltare nequit, ita pariter homo, sub servitute peccati detentus, in viis Domini ambulare non potest. Si enim vel maxime veram notitiam de rete instituenda vita ex verbo Dei hauserit, eam tamen in praxin deducere non valet, quo usque cognita non appro-



approbat, & regulæ sanctissimæ ipsi non sunt ad patrum. Concupiscentia prava, quam non tantum insinu suo fovet, sed cuius etiam imperio se submisit, non una eundem aggreditur via. Propullulant e corrupto & fœtido hocce fonte tria vitia cardinalia, quæ divisus Johannes I. Ep. cap. II. 16. per concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitae describit. Per istam voluptas, per illam avaritia, & per hanc ambitione designatur. Istius objectum sunt omnia ea, quæ carnem mulcent, & fœdæ libidini nutrimentum praebent, quibus grata in corpore excitatur titillatio, quibus gula satisfit, quæ tenetur & possidetur a carne voluptuosa. Illa oblectamenta querit oculorum, & circa pretiosa & utilia versatur, quibus inhiat, singulare ab istiusmodi rebus transitoriis emolumentum exspectans, quarum tamen usu avarus seipsum privat, adeoque vitio huic indulgens turpiter fallitur, dum commodi sperati loco nubem arripit, nec collectas opes possidet, sed ab illis possidetur. Ultima passio, ambitio scilicet & fastus, mentem tenet alligatam vanæ gloriæ cupidini, cum parum curet ambitiosus, qua ratione laudem & honores acquirat, qui non raro in ipso opprobrio querit gloriam Phil. III. 19. Quid itaque mirum, dictas cupidines, præsertim, si naturam habitus in homine induerint, hujus animum rapere in transvorsum, eundemque ad instar catenarum terrenis alligare & a cœlestibus retrahere, licet stultitia & vanitas earundem mentem illuminatam lateare nequeat? Quid mirum, quod exercitium pravarum propensionum omni conatu sanctitatem impedit, ut bona,



bona, licet agnita, non elegantur ab irregenito, qui
sæpius servus est ille, sciens voluntatem Domini sui, cui ta-
men non obædit Luce XII. 47. cum perversa voluntas
ipſi sit Deus, secundum illud:

Ambitiosus bonos & opes & fœda voluptas,

Hæc tria pro trino Numine mundus habet.

Accidentibus itaque ab extra innumeris malorum ir-
ritamentis, quibus omne tempus locusque scatet, qui-
busque fomes, in pectore latens, ignem quasi concipit,
in actualia peccata erumpentem: haud difficulter di-
judicari poterit ac concludi, non posse non obicem
hac ratione sanctitati ponи. Cum itaque voluntas
& vires vincendi malum, una cum fide, in non ren-
atis deficiant, & Christus, *sine quo nihil valemus Job. XV. 5.*
ejusque Spiritus ab anima per incredulitatem arcea-
tur: sanctimonia vitæ homini sibi relieto, viribusque
spiritualibus carenti, manet inaccessa.

§. X.

Aliter res sese habet in iis, qui per regenerationis
gratiam sunt illuminati. His sanctitatis difficultas di-
sparet, quippe qui spiritualiter res dijudicare sunt adsve-
facti 1. Cor. II. 14. Et amor, quo feruntur ad Deum,
nullam novit impossibilitatem in negotio sanctitatis,
sed efficit idem, ut homo, cui inest, se valere credat o-
mnia per Christum, qui ipsum corroboret Phil. IV. 12. Quare
ipſi præcepta Dei non gravia videntur 1. Job. V. 3. quoni-
am ad ea non sine fide accedit, cui acceptum fert, quod,
quæ ipſe non præstítit, pro præstítis ab ipso coram ju-
dicio divino reputentur. Nam fides, quæ Christus fe-
cit, credentibus applicat. Ex fidei virtute est, quod

D

mur-



mundus a piis vincatur 1. Job. V. 5. Probe sibi consciit sunt
 renati Dei filii, se sua natura inceptos esse ad hereditatem
 sanctorum in luce, ad quam aptos illos reddidit Pater cœ-
 lestis Col. I. 12. qui bonum opus in ipsis inchoat & perficit.
 Phil. I. 6. qui interius ipsos renovat, & accendit in illis
 verum ac serium Dei amorem, vi cuius præcepta ipsi-
 us magnificiunt iisdemque animitus oblectantur.
 Non itaque eo se induci patiuntur, ut sibi ipsis con-
 fisi nimium, moniti Paulini oliviscantur, quo, qui sibi
 videntur stare, serio hortatur, videant, ne cadant. 1. Cor. X. 12.
 Nec animo illorum excidit, legem adesse in carne, quere-
 pugnet legi in animo Rom. VII. 21. sqq. quo fiat, ut multa
 bona facienda etiam inviti omittant, & omittenda fa-
 ciant. Imo potius hac recordatione eo adiguntur, ut
 caute admodum ac circumspete ambulent, & impe-
 rio legis, quæ in carne est, fortiter resistant, ut humi-
 les corde peccata agnoscant, eorumque remissionem
 nunquam non a Deo efflagitent, Christum fide ap-
 prehensum cum suo merito Patri cœlesti, tanquam
 victimam pro peccatis suis offerentes, in cuius sanguine
 effuso confidunt, ab ejusdemque efficacia mundatio-
 nem ab omni labe expectant 1. Job. I. 7. Idem enim ipse
 sanguis & justificat, & in renovatione sequenti sanctimo-
 niam efficit, internum hominem corroborans. Vterque
 effectus, tam justificationis, quam renovationis, san-
 givini Christi acceptus est ferendus, & ad utrumque
 Apostolus Johannes in adducto loco intendit animum.
 Nec a me impetrare possum, ut cum Illustr. Comite
 de ZINTZENDORFF de sola sanctificatione eundem
 intelligam, exclusa penitus justificatione. Dictus ni-

mi-



mirum comes in scripto quodam impresso & ad Sacr.
 Reg. Majestatem Svedicam directo, quod confessionem
 fidei ejus exhibet, ita de hoc loco Johanneo mentem
 suam exponit: Was würde Johannes sprechen/ wenn er
 so viel Kinder beten/ so viel erwachsene Leute sich in ihrem un-
 ordentlichen sündlichen Leben damit trösten hörete: Das
 Blut IEsu Christi macht uns rein von allen Sünden.
 Es geschicht dem Apostel Gewalt. Denn hätte er ihn von der
 Rechtsfertigung eines Sünders vor Gott gemeinet/ so wäre
 es ein grosser Irthum/ daß die blutige Versöhnung nicht eher
 als bis der Mensch im Lichte wandelt/ sollte zu staten kom-
 men. Wir werden ohne Verdienst gerecht aus seiner Gnade.
 Hat er ihn aber gar nicht von der Vergebung und Zur ech-
 nung/ sondern von der würcklichen Reinigung angeführt/
 in welchem Sinne er mit Joh. XV. parallel ist/ so ist er un-
 ter dem Articul von der Heiligung wol zu ordnen/ der Gebrauch
 aber davon in dem gewöhnlichen Verstande ist ein sichtbarer
 Missgriff. Male habet Illustr. Dn. Autorem, a tot in-
 infantibus sententiam hancce Johannis, quovis auro &
 margaritis pretiosiorem, recitari, & quidem, prouti ex
 contextu verborum ejus apparet, eo sensu, ut *absolu-*
tionem a peccatis, sanguine Christi partam, sibi ad animum revo-
cent. Injuriam hoc ipso Apostolo fieri putat, qui alio
 prorsus sensu verba hæcce sit elocutus. Quippe sub ar-
 ticulo de sanctificatione dictum hoc esse coordinan-
 dum, nec ulla ratione ad remissionem peccatorum
 & imputationem justitiæ Christi trahi posse. Secus qui
 fecerit, illum turpiter hoc effato abuti. At enim vero
 ratio, quam pro sua explicatione affert Comes Illustr.
 quod scilicet, *si de justificatione peccatoris coram Deo locutus*

D 2

fuisse



fuissest Jobannes, gravis inde sequatur error, sanguine effe-
 Etiam expiationem non antea homini prodeesse, quam in luce
 ambulet, cum tamen sine merito justificemur ex gratia Dei,
 non sufficit ad inferendum id, quod inde inferre in-
 tendit. Certum est, solis justificatis competere am-
 bulationem in luce. Sed justificatio post conversionem
 non desinit ita, ut regeniti eadem, vel ejusdem con-
 tinuatione, non amplius egeant. Nonne omnes Sancti
 desiderium suum eo exponunt Ps. XXXII. 6. & libera-
 tionem a peccatis, a quibus se non immunes judicant,
 in sanguine Christi querunt? Et hoc ipsum est, quod
 in nostro loco docetur. Sistuntur v. 7. illi, qui ad
 exemplum Dei sui in luce incedunt, ut tales, qui cum illo
 habeant communionem mutuam, quique adeo per sanguinem
 filii Dei mundi fiant ab omni peccato, & remissionem
 transgressionum suarum impetrant, non, quod sancti
 potuerint esse ante, quam hanc remissionem impetra-
 verint, sed, quod nullo non tempore, etiam ut sancti
 & in luce ambulantes, eadem habeant opus eademque
 fruantur. Id quod clarius patet ex sequentibus versi-
 culis, ubi confitetur Apostolus de regenitis, se non ex-
 cluso, quod semetipsoſ effent decepturi, nec veritas foret in
 ipsis, si dixerint, peccatum se non habere v. 8. Contra, si
 confiteantur peccata sua, Deum fidem & justum esse, ut ipsis
 peccata remittat, & ab omni purget eos iniquitate v. 9. Absit
 interim, ut negemus, vires ad renovationem a sanguine
 Christi recte exspectari. Idem enim liberavit nos
 a peccato, non tantum, quatenus illius remissionem
 nobis acquisivit & applicavit: sed etiam, quatenus vires
 illius debilitat & supprimit in regenitis, quo minus

hi



bi vincantur ab eo, quod malum est, & ut ipsi bonitate vincant malitiam Rom. XII. 21. & a mundo incontaminati conserventur Jac. I. 27. Unde, qui cum Johanne & omnibus sanctis id maxime dant operam, quod 2. Cor. VII. 1. a Paulo ut præcipuum piorum studium adducitur, ut scilicet purgent seipso ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem cum timore Dei, hi omnes, ad veram vitæ, quam sectantur, sanctimoniam sangvinem Christi sibi profuturum esse, certo confidunt, quippe qui conscientias mundat ab operibus mortuis ad serviendum Deo vivo Ebr. IX. 14. Allegatum a Dn. Comite Caput XV. Johannis, tanquam locus 1. Job. I. 7. verbis parallelus, mentionem non injicit sangvinis, sed iis, qui in Christo manserint, v. 4, 5, 6, 7, per fidem scilicet ipsi adhærentes, qui manentes in charitate illa Christi, mandata ipsius servaverint, v. 9. 10. gratiose Salvator promittit, quod instar palmitum ex ipso, tanquam vite v. 4. succum sint recepturi, ne exarescant v. 6. sed potius fructum ferant copiosorem v. 2, 5, 8. Cæterum, jure taxat Illustr. Comes eorum temeritatem, qui dicto nostro eo abutuntur, ut inde solamen petant, quo securus ipsorummet animus tranquilletur, ut ab inordinata & peccatis squallente vita non abstinentum necessario putent, virtutem sangvinis Christi sine pœnitentia & fide sibi profuturam existimantes. Sed redeundum est in viam, a qua paulum nos abduxit examen sententiæ Zinendorffianæ quo ad exegesin verborum 1. Job. I. 7. Cumque occupati essemus in exponenda facilitate, quam regeniti experiuntur in cultu sanctimoniacæ, divinis quippe viribus adjuti: ulterius provocamus ad imple-

D 3

tio-



tionem illam, cœlitus factam, cuius Col. I. 9. fit mentio,
qua omni agnitione voluntatis Dei cum omni sapientia & in-
telligentia spirituali divinitus impletur sanctitatis sedato-
res; cum hæc eos muniat, ne pro Junone, ut ajunt, nu-
bem arripiant. Defectus enim sapientiæ istius spiritu-
alis efficit, ut irregeniti per apparentia bona miris
modis deludantur. Homo contra Dei omnia probat
I. Thess. V. 21. & quæ per examen ad lydium verbi di-
vini lapidem ut optima delegit & invenit, illa servat,
& ad ea vitam caute instituit, cum Davide precatus:
Commonstra mibi, Domine, vias tuas, & doce me semitas tuas
Ps. XXV. 4. Ex frequenti intellectus illuminati exercitio
in scrutandis rebus spiritualibus & divinis non potest
non enasci habitus ejusdem, de omnibus, certe rebus
ad interiorem vitam & sanctos mores pertinentibus,
justum ferendi judicium. Quare spuriam respuit ren-
tus sanctitatem & sinistra sanctitatis media, nec illam
in separatione sui ab externo Ecclesiæ cœtu ponit, qua
internus cordis fastus haud raro proditur. Novit a
Spiritu Dei edocitus, malos illos & impios, qui bonis
in Ecclesia externa miscentur, & hujus, teste experi-
entia, magnam partem constituunt, suæ cordis inte-
gritati nil quicquam detrahere. Eo potius allaborat,
ut ipse in medio gentis pravæ ac perversæ sit inculpatus, &
in ipsa ut luminare micet in mundo Phil. II. 15. Non
loco certo alligat sanctitatem, bene memor, quod tota
terra Domini sit, I. Cor. X. 28, & quod attollere omni in lo-
ca sanctas manus integrum ipsi sit I. Tim. II. 8. Hinc nec
ipse recedit in deserta, vel alia loca, ab hominum com-
mercio remota, nec aliis, ut istud faciant, autor est, sed

in-



inhabitat terram & pascit veritatem, ad præscriptum Davidis Ps. XXXVII. 3. Quantocunque etiam desiderio ad consuetudinem piorum & confortium cum ipsis teratur, omnem tamen cum impiis conversationem non fugit, sed, ut proximos suos, sincero illos prosequitur amore, imo data occasione eisdem corripit & in viam reducere conatur. Non querunt veri sancti in his terris cœlum, qua singula membra purum. Multo minus eundem ibi invenisse sibi videntur, ubi ritus ecclesiastici recepti & sapienter instituti, summo cum contemptu rejiciuntur. Neque in culpatidis & taxandis aliis gloriolam captant, sibi cum paucis aliis regenerationem solis adjudicantes, exclusis omnibus illis, qui ad ipsorum arbitrium mores suos non exacte conformant, vel, qui fastum ipsorum taxant, Uno verbo malunt esse sancti, quam videri.

§. XI.

Tam cognitio Dei, quam verus ejusdem cultus, ex revelatione peti debent. Ita nimur vult summum Numen cognosci, ita coli, prout ipsum sese manifestavit. Exulent perversæ illorum opiniones, qui vel rationi sibi reticere tantum superesse virium credunt, ut in rebus divinis ab errore liberam se servare possit, vel lumen aliquod divinum defendunt, cum Deus omnipotens sui luminis substantialis scintillam aliquam in tenebrosum hominis fundum jaculatus sit & quasi eidem incorporaverit, ut intra semetipsum haberet homo, quicquid ipsi opus esset, totum videlicet regnum Dei, in seminis veluti parvo granulo conclusum, temporis omniumque vicissitudinum decursu magis magisque se explicaturum, prout homo libero suo gratoque assensu, ut be-

na.



na terra, sese eidem ad altiores indies radices in eum agendas, supernique divini sideris continuos influxus recipiendos, aperuerit, quod PETRI POIRETI somnium recenset Jo. F.R. BVDDEVS *Theol. Dogm. L. I. C. I. ad §. XV.* Priors, invita Scriptura sacra, nullam per lapsum Protoplastorum scientiae concreatæ jacturam hominem fecisse, supponunt. Posteriores, qui cum Poireto loquuntur de scintilla luminis divini essentialis, vel auræ divinæ particula, homini communicata, in eodemque latente, ut, accedente evolutione, in spiritualibus cuncta intelligat, nil nisi meras fabulas & arbitraria commenta proferunt, tam rationi sanæ, quam divinis effatis ignota, quibus nemo sanus calculum adjicit. Quæ enim ad stabiendum suam hypothesin afferunt, provocando ad bonas cogitationes in non renatis existentes, & bonum ab ipsis profectum, quæ probanda erant, si recte explicitur, minime probant. Cogitationes quippe spiritualiter bonæ in irregenitis non deprehenduntur, nec opera ipsorummet accepta Deo sunt, docente Paulo 2. *Cor. III. 5.* & *Rom. XIV. 23.* Quod autem moraliter bona meditentur, dicant & faciant, quod bene vel male factorum nuntium, testem & judicem in se sentiant, & propriæ malitiæ sensu percellantur, non aliunde, quam ex rationis & conscientiæ dictamine repetendum est. Nec est, quod exempla pietate & virtutibus præstantium virorum, ut Melchisedeci, Abimelechi, Jobi atque Jethronis, qui lege scripta carebant, in medium proferantur. Hi enim Deo familiariter utebantur, specialibus digni ducti revelationibus, quibus, accedente traditione, a majoribus suis



is accepta, ea sine lumine divino essentiali connato re-sciscere poterant, quæ rationi erant incognita. Non majus ac ponderosius argumentum pro stabiliendo Fa-naticorum errore ab exemplo Philosophorum gen-tilium, singularis virtutis laude illustrium, *epicleti, So-cratis, Zenonis* aliorumque, desumitur. Namque hi ad illam laudem, quam consecuti sunt, solis rationis vi-ribus ascendere poterant. Conf. BUDDEUS l.c. Præte-re a traditionem de lege lata ejusdemque argumento istos viros prorsus latuisse, probabile non est, ut adeo nec his necessum fuerit esse entia lumen divinum, ani-mabus insitum, ad ea, quæ præstitere, præstanda. Eum in finem hæc allata sunt, ut constet, non insuffi-cientem illum de Deo conceptum, quem sola ratio suppeditat & donare potest, sed illum, qui unum in essentia & trinum in Personis Deum sifit, quemque scriptura revelata subministrat, veri cultus divini fun-damentum constituere, cum nulla θεοθησυς, vel cœco impetu arrepta, vel a ficto lumine interno com-mendata, sed sola λογικὴ λατερα Deo placere possit. Per quod *rationale obsequium*, quale Rom. XII. i. inculcatur, non notatur istiusmodi cultus divinus, qui eum vero rationis judicio consonat, licet de eodem nullum adsit Dei præceptum, ut Pontificii volunt, sed jussa & præ-scripta ratio colendi Deum, non externis quibusdam acti-onibus, jejuniis, vigiliis & similibus, sed internamentis ope-ratione, meditatione operum Dei, gratiarum actione, precibus, studio imitandi Deum, integritate vite & similibus, declaran-da. vid. FRID. BALDUINUS in Comment. in Ep. ad Rom. p. 742. Noluit benignissimum Numen, quæ illius gra-

E

tia



tia est erga genus humanum, nobis ipsis nos esse relictos, cum sciat, corruptam hominis rationem male fidum esse ducem, quo in devia facillime agimur. Aversatur Deus omnem electitum cultum, quemque pro suo arbitrio quilibet sibi singit, quo in varia & contraria studia scinduntur homines, pro religione superstitionem amplectentes, uti tristis experientia abunde docet; eaque propter, quæ bona sint, quaque Dominus a nobis poscat, ipse in verbo suo detexit & manifestavit, Miche VI. 8. Methodus ergo unica & vera ad sanctitatem perveniendi ex revelatione patescit, quæ sedulo consulenda, mediaque inibi commendata solicite adhibenda sunt. Est enim & erit semper sanctificatio divinum opus, a Deo inchoandum & perficiendum, cui qui sese totum dat, ejusdemque præfixo salutis ordinis cum abnegatione sui ipsius semet obsequiose submittit, & mediis, ad sanctimoniam consequendam sufficientibus & ab ipso Numinе sanctificante præscriptis, uititur, is, quantum illis insit virium, experietur, seque per vires gratiæ, munifice collatas, habilem inveniet ad superandas difficultates, sanctificationis negotio reluctantes. At enim vero assidua requiritur industria, ne in stadio præfixo segniter currat homo, nec amore mundi & deliciarum mundanarum iterum capiatur, id quod Demet accidit 2. Tim. IV. 10. Sincero itaque opus est animo, ab omni fuko & hypocrisi alieno; Deus enim corda scrutatur, & integritas illi grata est, Paral. XXX. 17. Sic commoda reddetur cor Spiritus Sancti officina, & idem cum illo homini scopus erit præfixus, nimirum sanctitatis in se instauratio & stabilimentum, quod a Deo



Deo exspectat, ita, ut ipse per acceptum spirituale robur cum eo cooperetur.

§. XII.

Quod itaque ad media attinet, quibus sanctitas acquiritur: inter illa primum assignamus locum *sacrum baptismo*, cum per eundem in infantibus sanctitas oritur. Deus enim, ut omnium hominum salutem serio cupit, *i. Tim. II. 4.* ita etiam omni hominum ætati prospicere voluit, non solum illi, quæ rationis usu gaudet, sed illi quoque, quæ eodem destituitur, infantilem innuo. Infantes quippe peccatum originale ex utero reportant, & mundatione maxime opus habent, ita, ut regeneratione carere non possint sine perpetuo periculo damnationis æternæ, quam effugere nequeunt, nisi per regenerationis beneficium ex filiis iræ facti fuerint filii gratiæ divinæ. Integrum equidem Deo manet, qua ratione efficere velit, ut renascantur infantes, & fides in ipsis accendatur, nec Christianorum liberi, vitam ante baptismum cum morte commutantes, a gratia divina exclusi & æternæ morti absolute tradendi recte pronuntiantur, præprimis, si sine parentum culpa medio hocce salutis priventur; interim tamen nec sanctos recte dixeris infantes vivos non baptizatos. Unde enim sanctimonia ipsis inesset? Non a parentibus, cum hi, si vel maxime ipsi regeniti sint, aliis tamen regenerationem ex arbitrio conferre nequeant, sed ex *pecaminoso semine* gignant liberos *Ps. LI. 7.* Non a semetip-sis, qui in peccatis concepti sunt & nati. *ibid.* Non a Deo, qui ordinarie regenerationis gratiam conferre non vult, nisi illis, qui statutis mediis utuntur. Dicit e-

E 2

qui-



quidem Paulus i. Cor. VII. 14. liberos, ex istiusmodi matrimonio prognatos, in quo conjugum alter fidelis est, sanctos esse: sed de sanctitate saltim loquitur ecclesiastica, quod scilicet talibus infantibus via ad sacramentum illud initiationis, baptismum videlicet, non sit præclusa, quæ felicitas parvulis, ex parentibus infidelibus procreatis, non contingit, qui inde impuri appellantur, l.c. Atque hinc de istis affirmare non audeo, quod paulo post partum, vel ante rationis usum sine baptismo vita functi, salutis æternæ participes sint futuri, quamvis de Christianorum infantibus id extra omne dubium positum esse persuasus sim; imo & illos, licet ab intuitione Dei beatifica remoti maneant, statum valde tolerabilem experturos esse, pie credam. Si autem ante baptismum infantes, etiam in coetu Christianorum nati, coram oculis Domini sunt impuri & peccato contaminati, per baptismum vero purgantur & abluntur Marci. XVI. 16. prona consequentia concludo, eundem illum baptismum medium ipsis esse acquirendæ sanctimoniae certum & indubium, nec cum Photinianis pro externa quadam ceremonia, qua de interna peccatorum ablutione admoneamur, aut cum Calvinianis pro solo regenerationis signo habendum. Quemadmodum nec cum Pontificiis statuendum erit, quod hocce sacramentum conferat gratiam ex opere operato, absque fide utentis. Est enim baptismus divinum & salutare medium, per quod tota sacro sancta Trinitas efficaciter ad salutem hominis operatur, talia in infante producens, quibus sanctus coram ipsa redditur. Efficit nimisimum baptismus in hominibus, qui illum recipi-



cipiunt, regenerationem spiritualem, cum sit *lavacrum regenerationis* Tit. III. 5. adeoque fidem accedit Matth. XVIII. 6. ex qua *justificatio* ortum trahit, Gal. II. 16. Rom. III. 28. ut proposit ad remissionem peccatorum Marci I. 4. Act. II. 38. Eredit Deus in hocce sacramento cum hominibus fœdus gratiæ, unde est συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπεξωτηρίας εἰς Θεὸν I. Pet. III. 21. cuius beneficio conscientia nostra potest esse certa de Dei gratia. Vox enim ἐπεξωτηρία significat interrogationem & responsonem in fœderibus & contractibus solemnem, ubi pars altera interrogat, altera respondet. Vid. Jo. GERH. L. Tb. T. IV. p. 500. Induimus, cum baptizamur, Christo Gal. III. 27, ejusdemque *justitia* condecoramur, tanquam uestesplendida, qua amicti Deo placere queamus, Ef. LXI. 10, evadimus filii Dei per fidem in nobis productam Gal. III. 26. liberamur a regno & potestate satanae, & transferimur in regnum Christi Col. I. 13, salutem denique & vitam eternam baptismō acceptam ferimus Marci XVI. 16. Tit. III. 5. 1. Pet. III. 21. Omnia illa, quæ recensuimus, & per legitimū sacramenti hujus usum nobis conferuntur, commoda eo collineant, ut homo formetur sanctus, atque adeo infans in baptismō sanctitatem primum consequitur per fidem. Nec est, quod de capacitate recens natorum sanctitatem recipiendi, dubitemus; defectus enim plenarii rationis usus non officit efficaci gratiæ divinæ, cui non resistitur ab infantibus, ut in adultis fieri potest, in quibus malitia maiores cepit vires & per frequens exercitium invaluit. Manet itaque, necessum esse, ut pusilli, peccato infecti, in lavacro regenerationis mundentur, nisi per totam infantiam pro filiis iræ

E 3



& candidatis æternæ damnationis eos habere velis, quod tamen voluntati divinæ prorsus repugnat, testante ipso salvatore Matth. XVIII. 14, & exsertis verbis afferente: *non est voluntas Patris cœlestis, ut pereat unus de pusillis hisce.* Eam ob rem in veteri quoque testamento per circumcisionem Deus fœdus pangebat cum parvulis, Gen. XVII. 10-12. Cumque in eius locum baptisma successerit Col. II. 11: quid obstat, quo minus per hoc etiam sacramentum fœdus Dei cum infantibus pangatur? nisi forte gratiam Dei in N. T. magis restrictam, quam in V. T. & infantulos eam non concernere, temere judices. Id quod aliter suomet exemplo demonstravit Christus, dum pusillos svaviter ad se invitat, & *eorum esse regnum cœlorum*, graviter affirmat, Marci X. 14. Sicut etiam in generali suo mandato *de baptizandis omnibus hominibus* Matth. XXVIII. 19. hos minime excepit. Nulla itaque subest ratio dubitandi, quo minus ad lavacrum hoc sacrum, & illo mediante, ad sanctitatem recipiendam apti reputentur infantes. Alia est ratio in adultis baptizandis. In his enim sanctitas ex fide oriunda, quæ per verbum Dei producta est, ante baptismum jam supponitur, ut illa adeo per sanctum lavacrum in hisce non acquiratur primum, sed confirmetur.

§. XIII.

In iis itaque, quibus per ætatem ratione licet uti, non alia constat ratio sanctimoniam acquirendi, quam quod illa per virtutem verbi divini vel lecti, vel auribus percepti, producatur. Hanc viam commonstrat scriptura sacra, *fidem ex auditu esse, auditum vero per*

ver-



verbum Dei, affirmans *Rom. X. 17.* Simul vero iis, qui
hocce carent medio, fidem denegat, *ibid. v. 14.* quan-
do dicit Apostolus: *quomodo credent, de quo non audive-
runt?* Enimvero, non est, quod inde Deum invidiae
aut crudelitatis arguas, cum hoc modo maxima ho-
minum pars a sanctitate arceatur & penitus excluda-
tur, quippe quibus verbum Dei ignotum est, cum ex-
tra cœtum ecclesiæ vivant. Licet enim permultæ
regiones latissime patentes omni tempore fuerint &
adhuc sint, quarum incolæ in profundissima mysteri-
orum divinorum ignorantia fuerint quasi sepulti, nec
adhucdum *lucerna illa pedum Ps. CXIX. 105.* potiri facile
queant, quæ ad accendendam in ipsis fidem, sanctita-
tis basin ac fundatum, sufficiens lumen submini-
strare possit; nullum tamen a mundo condito fuit
momentum, quo non omnibus terricolis via ad salu-
tem patuerit. Imo, nec deerant in prima statim mun-
di ætate fidi veritatis præcones, qui, si non scriptis,
ore tamen & per orales traditiones verbum Dei pro-
mulgabant, inter quos *Enochi*, ab *Adamo septimi*, qui de
judicio futuro naticinatus est, & sine dubio viam simul
hoc judicium per Christum evadendi commonistravit,
& *Noachi*, *Præconis illius justitiae*, scriptura sacra mentio-
nem injicit *Jude. v. 14, 2. Pet. II. 5.* Salutiferam propa-
gandi doctrinam post diluvium pii Patriarchæ ido-
nea fuerunt instrumenta, quorum progenies subsecu-
tis temporibus ecclesiam constituit illustrem, cui con-
credita fuere veræ religionis capita, & unde haud diffi-
culter totus terrarum orbis divinam petere potuit sa-
pientiam, præcipue, cum successu temporis per Mo-

fen



sen aliosque scriptores Θεοπνεύσους literis comprehenderetur. Hisce fidis verbi divini custodibus (cui tamen in postrema reipublicæ Judaicæ periodo falsum plurima populi pars affinxit sensum, nec Christum, sed, nescio quæ, justitiæ propriæ idola in eodem se deprehendere visa sibi fuit) successit Ecclesia, Christi nomine condecorata, ab eodemque ipso fundata, quem Nuntii pacis, Apostolos eorumque collaboratores innuo, ubivis prædicarunt, & ut unicum salutis fundamentum indefessa industria omni genti & linguae ob oculos posuerunt, ut non fuerit angulus, ubi non innotuerit evangelium, ipsa scriptura teste *Ps. XIX.* v. 4. *Sq. Rom. X. 18.* Nam *magna* oriebantur *Evangelistarum* cohortes *Ps. LXVIII. 12,* qui *unam* *victoriam* *post* *alteram* *reportabant* *Ps. LXXXIV. 8.* At, multæ gentes, dices, post fundatam ecclesiam veritatis lucem amiserunt, plus quam cimmeriis tenebris denuo immersæ. Fateor, per justum Dei judicium propter veritatis contemtum hoc evenisse. Sed, eandem etiam ubique fere locorum sic satis revocatam, constat, cum per circuitum totius habitabilis orbis vix adeo obscuram & incognitam deprehendes gentem, in cuius vernacula sacrae literæ, vel aliqua certe earum pars, non sit translata, ita, ut nec extremi Indi, nec polis maxime vicini populi, hoc thesauro penitus careant. Admiratur merito divinam φιλανθρωπιαν, qui egregiam artem typographicam, ante aliquot secula inventam, intuetur, enjus beneficio tot centena millia sacræ scripturæ prodierunt exempla, ut, hisce rite pensitatis, confidenter affirmare audeam, nemini omnino mortalium adi-
tum,



tum, per ordinarium verbi subsidium ad agnitionem præscriptæ sanctitatis & salutis viæ perveniendi, esse præclusum. Licet enim insuperabiles quibusdam nationibus & individuis ad huncce scopum accedendi obstatre videantur difficultates; non tamen tantæ erunt illæ, quin per sapientissimam Dei providentiam removeri queant, dummodo scrutator ille cordium prævideat, homines veritatem oblatam esse amplexuros. De iis autem, qui inter gentes, extra Ecclesiæ pomœria degentes, in profunda veritatum ad salutem necessariarum ignorantia diem obeunt, statuendum utiqne puto, quod de ipsis in luce omniscientiæ suæ cognoverit Numen, ob cordis duritiem veritatis notitiam ipsis non profuturam, cuius potius contemptus causa est graviorum in inferno luendarum poenarum, ut adeo culpa non in Deum, sed illos ipsos redundet, quippe qui in extrēmo judicio erunt *ἀνπολόγητοι Rom. I. 20.* Qui autem veritates salutares cognoscere sincero cupiunt affectu, eoque ducti ad sacram accedunt scripturam, illi regenerantur ex hoc non corruptibili, sed incorruptibili semine, ex vivo verbo Dei, quod in eternum manet, uti Petrus loquitur *I. Ep. I. 23.* Id quod etiam iis nonnunquam contingit, qui integrum quidem non afferunt animūm, dum tractatione mysteriorum divinorum occupantur, mox tamen radiis veritatis ita percelluntur, ut sancta effata sponte recipient, & in salutem animæ scripturas altius rimentur, de quo passim in fide dignis historiis exempla prostant. Certe, qui ad modum BERRHOENSIVM pio studio *scripturas* scrutantur, *Act. XVII. II.* *& verbum* *prædicationis* *divine* *non* *pro* *verbo*

F

bonis

bominum, sed, quod vere est, pro verbo Dei assumunt, i. Thess. II. 13.
illi divinam ejus efficaciam nunquam non experiuntur, qua regenerantur, sanctificantur, & in sanctitatis studio indies proficiunt.

§. XIV.

Adulti ad sanctitatis limen pervenire nequeunt sine pœnitentia, quæ cum conversione intransitive accepta coincidit. Hæc tamen a regeneratione in tantum differt, quod i. illa de infantibus prædicari nequeat, sed in solos adultos quadret. 2. Quod hæc etiam impiis inter Christianos, qui non sunt conversi, simpliciter denegari non possit, quippe qui per baptismum olim renati sunt & in fœdus Dei recepti, quod ex hujus parte non cessat, & ad quod via ipsis per conversionem semper patet. Causa efficiens conversionis est solus Deus, qui in ipso conversionis opere omne fert momentum. Loquitur equidem scriptura sacra in nonnullis locis ita de hocce negotio, ut homini illud adscribere videatur, quem excitat, ut lavet sese purificetque, & desinat male facere, Eſ. I. 16. 17. ut revertatur & avertat ſe a transgressionibus, ut ſibi cor novum & ſpiritum novum faciat, Ezech. XVIII. 30. sq. XXXIII. ii. ut ad Deum appropinquet peccator, manus purget & cor reddat caſtum, Jac. IV. 8. hoc tamen non aliter accipiendum, quam de non resistentia morosa, & uſu mediorum a Deo suppeditatorum. Negari non potest, hominem in peccatis mortuum, antequam gratiæ convertenti locum concessit, aliqua ex parte de corruptione sua & ad bene agendum impotentia certum fieri posse, si ad ſeipſum paulo accuratius attendat; sed extreinam ſuam depravationem ex

ſe



se ipso nosse nequit, nec miseriæ suæ cognitione eo adi-
gi se patitur, ut ad Deum accedere allaboret, quem
potius, sibi relictus, fugit & aversatur, ut ultorem pec-
cati, non secus ac Adamus in Paradiso post lapsum a
facie Domini abscondere sese annitebatur. *Gen. III. 8.*
Transitus ex morte ad vitam spiritualem homini per
vires proprias non minus impossibilis est, ac naturali-
ter defuncto impossibile est seipsum excitare & a
morte resurgere. Gratia vero Dei ad peccatorem
convertendum est operosa, quærens errantem, eidem-
que præveniens, ut reducat eum, præparet atque di-
sponat ad admittendum spiritus sancti convertentis
opus in se, & ad deserendam peccati semitam. Medi-
um, quod spiritus sanctus (cui hinc opus sanctificatio-
nis & conversionis speciatim tribuitur, non exclusis
tamen reliquis Divinitatis Personis) adhibet ad perfi-
ciendam in homine peccatore conversionem, est ver-
bum divinum, quod per legem peccata detegit & cor-
dis contritionem operatur, per evangelium autem fi-
dem accedit in Christum. Quod itaque primo ad
contritionem, hæc nihil aliud est, quam sensus peccati
cum exquisito conjunctus dolore, similis illi, qui ex
compresso & contuso corde in pectore oriretur. Unde
phrasis illa scripturæ desumta est, cum de *spiritu contri-*
to, corde contrito & confacto, quod Deus non despiciat, loqui-
tur *Ps. L1. 19. Ps. XXXIV. 19. Ef. LVII. 15.* Quemadmo-
dum enim mœror insignis efficit, ut, relictis externis
humani corporis partibus, sanguis, per venas & arte-
rias ceteroquin placide fluens, propter hæcce vasa
compressa in corde & circa ipsum retineatur, idem-



que coarctet & comprimat, ut a superfluo sanguine
seipsum evacuare non possit; sic pariter memoria de-
lictorum, cum terrore conscientiae conjuncta, contun-
dit hominem, ut saepius praे mentis angustia, quo se
recipiat, quid fugiat, quid petat, ignoret. Non equi-
dem omnes homines in conversione sua æqualem tri-
stitia spiritualis gradum, nec per æque longum tempus
animi, ut ita loquar, compressionem experiuntur, nec
omnes momentum semper indicare valent, quo tale
quid senserint; hoc tamen certum est, neminem sine
prævio ob peccata commissa mœrore converti posse.
Oritur ista *contritio* ex agnitione peccati, sed hæc est ex
lege divina, sine qua non satis alte rimari depravatio-
nen nostram possumus, fatente Paulo *Rom. VII. 8.* Pos-
sideret verbum legis suas vires ad movendas conscienti-
as, & cunctis motivis & argumentationibus humanis
longissime est anteponendum, cum Dei & Spiritus
Sancti verbum sit, quod *vivum est & efficax, & quovis*
gladio bifido acutius, penetrans & dividens animam & spiri-
tum, medullam & ossa, judex cogitationum & sensuum cordis.
Ebr. IV. 12. *Est ignis & malleus, qui confringit rupes, Jer.*
XXIII. 29. Hujus fulgure qui concutitur, & operanti
gratiæ divinæ non resistit, is non potest non confundi
& erubescere, inspicio peccatorum suorum molem
& fœditatem. Is anxie quærerit liberationem a spurcitie
sua morali, reconciliationem cum Numine læso, &
conscientiae tranquillitatem. Si talibus angustiis con-
strictus percipit promissionem evangélicam de gratia
Dei, qui *peccatoris mortem non velit 2. Pet. III. 9.* si de
Christo Salvatore mundi certior fit, & quod ipse quo-
que



que acquisitæ per eundem salutis particeps fieri queat; mirum in modum recreatur, & in seriam sui conversionem consentit, seque Deo tradit, ut opus suum in ipso ulterius perficiat, detestatus simul quævis peccata cum firmo proposito se penitus in posterum imperio illorum subtrahendi. Hanc verbi propositi & inculcati virtutem sentiebat illa multitudo, quæ per unicam Petri concionem ad Christum se duci patiebatur.

Act. II. 41. Sed sæpiissime contingit, ut homo primos motus, a viverbi oriundos, supprimat, & animum contra veritatem induret, quo minus optatus prodeat effectus; id quod *Felix*, ille *Præfetus*, docet, qui oratione Pauli de *justitia, castitate & futuro judicio*, perterrefactus, stuporem pellere conabatur dimittendo Apostolum, & colloquium cum ipso ad *commodius tempus reservando* *Act. XXIV. 25.* quo tamen fit, ut ad pristinam securitatem redeat homo, pœnitentiæ obicem ponens. Imo, si talis nifus contra veritatem, intentioni Spiritus Sancti contrarius, sæpius reiteratur, sensus tandem omnis perit, & callo quasi *conscientia obducitur* *1. Tim. IV. 2.* ut radii verbi non penetrant, sed inde resiliant. Atque ita Deo cor præcluditur, quo minus conversionem & sanctificationem in homine operari queat.

§. XV.

Non autem sola contritio ad conversionem sufficit, qua in desperationem homodaretur præceps, tantumque abest, ut hac sola duce ad Deum proprius accedat, ut a conspectu potius ejusdem longius propellatur. Enim vero pœnitentiæ veræ *duæ* sunt partes, & *fides contritioni jungenda est*. Hæc a Spiritu Sancto

F 3

per



per verbum Evangelii excitatur, quod nimurum homini Christum revelat, & de illius merito, quantum satis est, hunc confirmat, testando de Christo, verum illum esse Deum & verum hominem, qui peccata, ^a quibus ipse quam maxime est alienus 2. Cor. V. 21. pro integra hominum gente in se suscepit Es. LIII. 4. 5. 6. Job. I. 29. dum Pater cœlestis mundum sibi reconciliavit in Christo 2. Cor. V. 19. constituens ipsum, ut sit iλασμός pro peccatis nostris, 1. Job. II. 2. quem nobis ut iλασησον proposuit Rom. III. 25. ad quem accedamus cum gaudio & fiducia, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium Ebr. IV. 16. Hæc cognitio contrito peccatori non potest non esse gratissima. Unde pleno eandem assensu, ab efficaci Evangelii præconio producto, arripit, gratiam quidem divinam, omnem captum & spem suam transcendentem, admiratus, sine dubitatione tamen, quam in vero pœnitente convictio, a Spiritu Dei profecta, penitus excludit, certitudine immota credens, Deum mundi misertum esse, & Filium suum in salutem omnium misisse, hunc Dei Filium factum esse hominem, passum, crucifixum, mortuum, sepultum, tertia die resurrexisse, ascendisse in cœlum, sicque post extremam exinanitionem usum plenarium majestatis divinæ recepisse, & ad dextram cœlestis Patris sedere, ut prospiciat suæ Ecclesiæ in his terris, eandemque potenter pariter ac sapienter gubernet, & ad consummationem seculi sub umbone regiminis sui protegat & conservet, quo post certamen, eo ducente, ad triumphum pergit, & singula ejus membra in inconcussa beatitudine & intuitione Dei a facie ad faciem cum



eu[m] ipso gloriose vivant & regnent in seculorum secula. Hæc omnia sibi peccator per fidem applicat, certo certius persuasus, se ab hac gratia minime esse exclusum. Unde nihil est, quod a Christo ipsum arceat, per quem omnia sua peccata sepulta & a conspectu Dei remota esse, firmissime confidit, cujusque justitia conditoratus, coram judicio Dei sine confusione & terrore stare possit, infallibiliter convictus, quod *Christus & ipsum amaverit Gal. II. 20.* quod Deus & sibi per Christum reconciliatus, quod sibi quoque gratia & remissio peccatorum sit acquisita. Et hæc est illa fiducia, quæ essentiam fidei constituit, sine qua nec agnita veritas, nec assensus, eidem adhibitus, quicquam prodessent. En! hominem, *a Deo idoneum factum ad hereditatem sanctorum in luce. Col. I. 12.* En! commodam officinam Spiritus Sancti, quæ gratiam ejus recipere, eademque post justificationem renovari, & in renovatione quotidiana capere possit incrementa,

§. XVI.

Absit autem, ut erret pœnitens peccator in iis, quæ credit, ut fallat ipsum fiducia in merito Christi posita, cum Deus pœnitentiam ipsius ratam habeat, & reconciliationem, quam fides apprehendit & offert, benevolè suscipiat. Consequitur ergo pœnitens, quæ credit & sperat, justificatur coram judicio divino & a peccatis absolvitur, culpa in ipso non appareat, quippe quæ sanguine Christi tegitur, pœnis peccatorum simul sublatis. Quo autem eo rectius hæc intelligantur, observandum est, per justificationem non nisi forensem indigitari *actum*, in quo reus sistitur coram judicio divino,

tan-



tanquam maleficorum pessimus & maledictioni subjectus, qui omnes poenias, in transgressores legis divinae statutas, jure meruit, tam temporales quam æternas, qui de sua culpa gravissima convictus anhelat, & qui talis à Judice corda scrutante deprehenditur. Neque enim fœditas justificandi ^{enðmōv ðūpā} Dei latet, cuius justitia solum pro insonte habere nescit, nec sine satisfactione impunem dimittere potest. Cum autem hæc satisfactio desiderata a Christo vade sit præstita, & cum illa, per fidem apprehensa, abs reo Judici offeratur, qui eandem pro sufficiente, uti in se est, declarat, quippe qui ipse Christum proposuit hominibus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius Rom. III. 24. 25. ita, ut, qui in illo confidit, non pereat, sed vitam eternam consequatur Job. III. 16. fieri aliter non potest, quin poenitens, jam nunc credens, non quidem ob propriam, sed alienam, Christi scilicet, justitiam, innocens & a sceleribus purus coram tribunal divino reputetur, & ab omnipotencia absolvatur, eo solum intuitu, quoniam Christus, Sponsor, illius loco omnia perfecte peregit & passus est, quæ ipsi peragenda & patienda erant. Hæc absolutio peccatoris ipsa illa est, quam quærit, justificatio, qua reus non per absolutam Dei voluntatem, ac si is sine satisfactione peccata remittere possit, sed ex imputatione meriti Salvatoris, vere justus renuntiatur. Ut ita justificatio non pro aëtu physico, quo propter meritum aliquod hominis justitia homini infundatur, sed pro aëtu mere forensi habenda sit.

§. XVII.

Eadem ipsa, quam descripsimus, justificatio hominis



nis coram Deo per fidem est fundamentum renovationis & sanctitatis in ipso, & hæc illius criterium, cum, qui non sancte vivit, de eo certum sit, quod in statu justificationis non inveniatur, & vice versa, quod, qui justificatus est, & in hac gratia perseverat, ille quoque non possit aliter, quam sanctimoniam colere. Conscientem habemus nobiscum *Form. Conc.* quæ in *Solida Declaratione art. III. de justitia fidei coram Deo* hisce inter alia verbis utitur: *Cum Persona jam est justificata, tum etiam per Spiritum Sanctum renovatur & sanctificatur. Ex ea vera renovatione & sanctificatione deinceps fructus, b. e. bona opera, sequuntur.* Non aliud, qui rem recte pensitat, de hocce negotio judicium ferre poterit, quam, quod impetrata ab omnibus peccatis absolutionem sanctimonia vitæ excipiat. A parte enim Dei adest plena gratia, qui amore propensissimo prosequitur hominem, in quo nihil actu damnavit invenit. *Rom. VIII. 1.* Hæc gratia operosa est ad restituendam in homine imaginem Dei & ad sanctificandum eum totum, ut integer ejus *Spiritus, & anima & corpus inculpate serventur, i. Thess. V. 23.* Justificatus fit habitaculum Sanctissimi Numinis *Job. XIV. 23. 1. Cor. III. 16.* quocum arctissime unitus est, imo & *corpus suum* exhibet *templum spiritus Sancti i. Cor. VI. 15.* Atque hæc inhabitatio Dei in homine majus quicquam involvit, quam sola illa omnipræsentia, qua cunctis adest creaturis, nec tantum nuda gratiæ præsentia absolvitur, quamvis ad eam adæquate explicandam sacrae nos litteræ non sufficienter instruant, cum hoc mysterium captum nostrum superet. Unde unio ista Dei omnipotentis cum regenitis & justificatis & est, & recte appellata.

G

pella.



pellatur mystica. Quid mirum autem, istam hospitis
 sacrosancti præsentiam tam singularem & arctissi-
 mām cum largissimo benedictionum cumulo esse con-
 junctam? Benedicitur enim templum Dei omni benedicti-
 one spirituali in cœlestibus Epb. I. 3. ut nullum ipsi deficiat do-
 num I. Cor. I. 7. quo uti queat ad faciendum indies ulte-
 riores in sanctitate progressus. A parte Hominis au-
 tem fieri non potest, quin memoria & sensus incom-
 prehensibilis gratiæ divinæ, qua ipsius misertum est
 benignissimum Numen, qua ante conversionem su-
 am prævenit ipsum, qua, cum homo prorsus nihil ha-
 beret, quod ad regenerationem sui conferret, Deus in
 eo per verbum suum Legis & Evangelii operatus est
 contritionem seriam & veram fidem, ut *saluum ipsum*
faceret gratis Eph. II. 8. (non, quod sine satisfactione eum
 absolverit, sed, quod sine ullo hominis merito Christum
 ipsi dederit reconciliationem pro peccatis ipsius) si-
 mul etiam in peccatore justificato pium provocet in
 tantum Benefactorem affectum, & reminisci faciat il-
 lum debiti sui, summo huic bono eo firmius per fidem
 jam nunc adhærendi, quo longius ante regeneratio-
 nem ab eodem recesserat. Pia renatorum mens, ru-
 minando superabundantem misericordissimi Dei gra-
 tiam, sincero in eundem fertur amore, quo duce nul-
 lum illius mandatum sua sponte transgreditur, nec ul-
 lum peccatum deliberato consilio & cum proæresi com-
 mittit, nec legem Dei sanctissimam, impœnitentibus
 adversam & exosam, fugit amplius, sed *præ multis mil-*
libus talentorum auri & argenti illam magni facit, Ps. CXIX.
 72. *& præcepta divina pretiosiora babet auro & multo auro pu-*
ro,



ro, dulciora melle & stillatione favorum, Ps. XIX. ii. Et, pro-
 uti ex agnitione Dei magnum illius oritur desiderium:
 ita vicissim, ut hujus thesauri desiderabilis ulteriore cognitionem ex revelato verbo ipsius consequatur, impense justificatus operam navat, ac legem ipsius meditatur die & nocte Ps. I. 2. quo adhærentem sibi adhuc ignorantiam & perversos, nonnunquam forte in ipso ortos, de Deo conceptus perspicaciōri notitia, quam Spiritus Sanctus per verbum subministrat, subigat, in hoc gloriatus, scire & nosse se Dominum suum Jer. IX. 24. Parit etiam salutaris ista supremi Numinis notitia verum & filialem ejus timorem, qui a peccatis animum retrahit, & non fucatam imperat obœdientiam. Fiducia simul, quæ curas anxias animo excutit, per scrutinum & recordationem benignitatis divinæ, toties per vitam, præprimis autem in regenerationis ac justificationis negotio cuilibet pio manifestatæ, mirum quantum corroboratur, ut in exhausto hocce bonitatis fonte spes credentium collocata deprehendatur certissima, quæ fulcit ipsos, quo minus in rebus adversis desperent, sed patienter quascunque sustineant calamitates, de veracitate Dei & certitudine promissionum ejus, quibus afflictis levamen atque solatium pollicetur, quantum satis est, convicti. Prouti autem in sanctis propria in Deum reverentia efficit, ut tremendum ipsum nomen devotissime venerentur & adorent: ita filialis fiducia ad Patrem suum cœlestem pios dicit, quam ut veri adoratores Jok. IV. 23. frequentissimis in spiritu & veritate compellant precibus, quo ab eodem omnia illa, quibus, qua animam & corpus, opus habent, nova

G 2

præ-



præfertim vitæ spiritualis augmenta, impetrant. Pro im-
petratis autem viribus spiritualibus gratias agunt, &
nomen Dei celebrando, ac glorificando simul alios
de bonitate ipsius instruunt, qui hoc exemplo admo-
niti, ad salutiferam sæpius Dei agnitionem adducuntur.
Non latet selectos Dei filios, quod ipsi sint regium illud
sacerdotium i. Pet. II. 9. utpote quibus incumbat, ut virtu-
tes depradicent illius, qui ex tenebris illos evocavit in admirabili-
bilem suam lucem. Quare, quo officio suo, quantum pos-
sunt, satisfaciant, non contemnunt sanctos illos con-
ventus publicos, in quibus, certo tempore institutis,
res divinæ tractantur & sacramenta administrantur,
sed iisdem frequentes intersunt, imo domi se suosque
ædificare student, hoc ipso declarantes, quanta sit illis,
tam propriæ, quam aliorum salutis cura, correptione
fraterna, adhortatione crebra & exemplo suo ad san-
ctimoniam proximum excitando. Sic verum Numi-
nis cultum summo studio & animo propenso renati
observant, de eo quam maxime solliciti, ut in fide per-
sistant, quam ut per amorem actuosam exhibeant,
nullam sponte negligunt occasionem.

§. XVIII.

Quemadmodum autem Deus ipse amorem erga se
& proximum arctissimo mandati sui vinculo conjungit,
& hunc quidem *sicut nosmet ipsos diligere jubet Lev. XIX.*
18. (quod præceptum Christus, divinus legis interpres,
alteri de amore Dei æquiparat *Matt. XXII. 39.* & notam ve-
ri sui discipuli mutuam dilectionem constituit *Job. XIII. 35.*
ad stipulante divo Johanne i. *Job. IV. 2.*) ita quoque re-
genitus, sanctitati operam dans, divinum hocce præ-
scri-



scriptum in magno habet pretio, eidemque, quantum vires permittunt, per omnia obsequium præstare paratus est. Intuetur enim proximum suum ut æqualem, cui cum ipso communis est creator & Pater. *Mal. II. 10.* communis Redemptor. *I. Tim. IV. 10.* adeoque communis propitiatio. *I. Job. II. 2.* cui *Spiritus Sanctus* communis, communis spes, fides communis, communia sacramenta *Eph. IV. 4. 5.* verbum commune, per quod omnes renasci debent *I. Pet. I. 23.* imo, quem, si divino huic semini locum concedit, communis etiam manet hereditas in cælo *I. Pet. I. 4. sq.* Hujus communionis cum, licet non per omnia, tamen ex parte, etiam irregeniti sint participes: nec hos dilectio excludit, sed, uti regenitus ad exemplum cœlestis Patris eorum omnium salutem avide optat, ita nihil non confert, quo ad eandem ipsis via parari possit. Nec offendæ quidem in piis animabus alte radicatum extinguit amorem. Sequuntur enim in hoc vestigia antesignani sui Christi, adeoque *is est affectus in illis, qui fuit in Christo Jesu Phil. II. 5.* qui convitiis exceptus, non vicissim convitiabatur, & cum malis afficeretur, non minabatur *I. Pet. II. 23.* pro hostibus potius de cruce precatus *Lucæ XXIII. 34.* Hujus mandatum semper illis ante oculos versatur, quo hostes diligere, maledicentibus benedicere, odio nos habentibus benefacere, pro iis, qui ledunt & persequuntur, preces fundere jubemur *Mattb. V. 44.* De hac hostium dilectione doctrina moralis Ethnicorum, præcipue Stoicorum, multa splendide loquitur cum injuriarum & offendarum contemptum præcipit, & amorem in offendentes commendat: quem tamen verum fovere Ethnici, gratia divina destituti, non poterant.

G 3

Idem



Idem in ipsis Judæis reprehendit Salvator *Mattb. V. 43.*
 qui præceptam in proximum propensionem, Legem
 Dei turpiter pervertentes, de *solis amicis* interpretaban-
 tur, posthabitibus *inimicis*, quos odio potius prosequendos esse,
 temere docebant. Ex quo præstantia christianæ doctri-
 næ, quæ similex gratia divina vires ad exsequendum
 officium impetrare docet, præ Gentilium ac Judæorum,
 a vero Legis sensu deviantium, placitis, evidenter colli-
 gitur. Hinc fit, ut ad quævis officiorum genera pro-
 ximo exhibenda prompti semper inveniantur sanctimo-
 niā colentes, quippe qui eo allaborant strenue, ut
 suum cuique tribuant, superiores honore, timore &
 obedientia excipientes, æqualibus fidem & paratam
 operam præstantes, inferioribus comitatem, mansue-
 tudinem & ab iniuitate alienum animum compre-
 bantes. Unde etiam calamitatum aliorum miserti, au-
 xiliatrices manus iisdem non subtrahunt. Concordiam
 & pacem cunctis bonis temporalibus anteferentes, de-
 fectus proximi suaviter tolerant, &, quoad juste fieri
 potest, excusant, nec adiram, licet provocentur, con-
 citari se facile patiuntur, & in ignoscendis injuriis non
 defatigantur, sed vel *septuagesies septies* eidem fratri, in
ipsos peccanti, offensas condonant Mattb. XVIII. 21. Officia con-
 tra ipsis præstata, vel minima etiam, grata mente ag-
 noscunt; moribus quoque, gestibus & verbis, quavis
 data occasione, quem in animo fovent, lenitatis spiri-
 tum declarant, a fupo quovis alieni, mendacia quæ-
 vis cane & angue pejus devitant, nec obtreestationibus
 faciles aures præbent, & tantum abest, ut alios calu-
 mniis ac convitiis ipsi proscindant, ut potius optima
 quæ-



quævis de proximo suo loquentes, servandæ bonæ ipsius famæ sint studiosissimi. Quibus omnibus in apri-
cum ponunt, se alios homines diligere velle sicut seipso.

§. XIX.

At enim vero, uti gratosissimum Numen, sancti-
moniam hominibus præcipiendo & inculcando, sui
ante omnia nominis glorificationem intendit, & deinde
quoque sanctificatorum vera commoda quærerit; ita se-
rio etiam vult, ut non aliis solum, sed sibi ipsis etiam
prospiciant sancti. Certe, non aliunde magis, quam
ex hoc Dei impenso desiderio, ut bene sit omnibus
mortalibus, & felicem illi vitam degant, benevola Pa-
tris cœlestis mens in rationales suas creaturas conspi-
citur. Nullatenus hac de re dubitare nos permittunt
largæ illæ benedictiones, quarum cumulum in eos ef-
fundere benignum Numen promisit, qui in præceptis
ipsius servandis indefessi, & in viis ejus prosequendis
constantes sunt. Quos enim immarcessibili corona tan-
dem aliquando cincturus est Deus, si in fide ac dexteritate
ad extremum vitae halitum perstent Apoc. II. 10. hos etiam
temporalibus bonis, secundum beneplacitum suum,
saturare quam paratissimus est. Adeas *Deut. Cap. XXVIII.*
quod prolixum benedictionum temporalium catalo-
gum, piis destinatarum, recenset. Minus recte senti-
unt, qui ita dictum amorem Dei purum requirunt,
qualem FENELONIUS in primis defendit in *Explication des
Maximes des Saints sur la Vie interieure.* Pure equidem Deus
est amandus, ut non solum ratio habeatur bonorum
temporalium, ab ipso impetrandorum, nec ideo tan-
tum, quod fons & medium sit nostræ felicitatis. Hoc
enim



enim modo cessaret facile amor Numinis, si consecuti essemus quæsita. Imo, nec ita diligendus est, ut amori propriæ felicitatis amor Dei postponatur. Sed hicce demum purus est amor Dei, si eundem rebus omnibus, adeoque nobis etiam ipsis & nostris commodis, felicitati & beatitudini, multis parasangis anteferamus; cuius tamen etiam (cum voluntati Dei non sit adversa, sed ille potius serio salutem nostram cupiat,) ratio utique sine contaminatione amoris, Deo debiti, (modo fiat justa subordinatione,) haberi potest & debet. Conf. quæ Jo. Fr. BUDDEUS *Inst. Theol. Mor. P. I. Sect. I. ad §. 123.* commentatur. Qui enim seipsum ut summum bonum hominibus offert, illi adversum esse nequit, si propriæ quoque felicitatis intuitu oblatum hocce bonum amplectantur. Amandus est Deus nostri quoque causa. Hoc qui inficias iverit, quid amor sit, & in quo proprie consistat, semet ignorare prodit. Amare dicimus illud, quo oblectamur, unde commoda percepimus ac speramus, nec alius amoris conceptus mentibus nostris vulgo hæret. Verus itaque Numinis amor non minus nos ad ordinatam nostrorum met ipsorum, quam ad aliorum, dilectionem compellit. Ordinatam dico hancce dilectionem, hoc ipso indigitatus, quod omnino proprius amor amori Dei, qui super omnia absolute amandus est, cedere debeat, ita, ut nobis non invitis pro gloria Dei quævis persecutions, calamitates & pericula sint subeunda; quid quod ipsa vita ponenda, cum eo ipsa nostra vera salus promoveatur, & ad culmen suum pertingat. Sanctitas nostra sibi certe non constat, nisi indefesso studio in officia, nobis



nobis ipsis præstanta incumbamus. Præprimis itaque mentis nostræ, deinde etiam corporis cura religiose est suscipienda, cum justificati præcipuo conatu tendant ad sanctitatem tam animæ, quam corporis, & in ejus possessione summum lucrum, summam laudem tam recte, quam avide venentur. Animæ consulunt inhiando veræ saluti, &, ne semetipos fallant, fidem propriam, quæ gratiam Dei & meritum Christi, salutis fundamenta, sibi applicat, sæpiissime explorant. 2. Cor. XIII. 5. Ex hac fide oritur invicta illa *πληροφορία* salutis exspectandæ, cuius *spei* respectu jam in his terris beati sunt, Rom. VIII. 24. Porro animæ intemeratam felicitatem seellantur, evitando cuncta sedulo, quibus illi periculum oritur, quippe quæ magis, quam ea, quæ corpori dolorem infligunt, pro veris malis reputant. Nihil tam inimicum est sanctis & exosum, quam peccatum, a quo toto animo abhorrent, & cujus imperium, cui ante conversionem & justificationem erant subiecti, peste quavis pejus fugiunt & aversantur, scientes, exinde maximum animæ periculum timendum esse, quoniam peccato fides, gratia Dei & salus æterna, proh dolor! excutiuntur. Quodsi autem præter opinionem ex infirmitate, vel præcipitantia, in delicta inciderint, quibus sanctissimum Numen offenditur: restitutionem in integrum per sanguinem Christi protinus quærunt, remissione peccatorum inde efflagitata & impetrata. Sic animæ cura nunquam deposita, custoditur illa, ut bene sit ipsi, & in Deo suo solo summum bonum ac veram requiem possideat atque conservet. Quod autem ad corpus attinet, cum illud non leviter tentet regenitos, & ad transgrediendos sanctitatis limites sollicitet homines, sensitivo, quem dicunt, appetitu ad actiones il-

H

lici-



licitas & peccaminosas primum : qui sanctimoniae operam navat, legis, quae in carne est, nunquam oblitiscitur, & ne illi bonum propositum, a Spiritu Sancto in se productum, vietas porrigat manus, sed bono potius malum vincatur, maxime sollicitus est. Testis est flebilis experientia, quod nimia indulgentia in corpus reddat homines voluptuosos, & ad explendam libidinem vehementer exstirule. Quare cibus & potus nimius, gulæ, delicias appetenti, valde gratus, caute subducendus, & modico victu, quippe qui sufficit, vita sustentanda est. Similis effectus oritur ab otio continuo, cum nihil agendo male agere discamus, nec desunt eorum exempla tristia, quos otium & desidia in teterima precipitavit flagitia, id quod notabilis Davidis lapsus comprobat, qui adulterio & insecura cæde non commaculasset animam (Legatur historia 2. Sam. XI.) si debitiss negotiis eo tempore fuisset districtus. Vnde Sancti currant, ut utilibus semper occupati sint laboribus, ne inutilibus & malis perpetrandis conscientiam onerent, & præprimis hac etiam ratione corpori suo consulunt, dum sanitatem parco victu conservant, quæ laetiori cibo & potu, imo desidia & fuga laborum, nimium quantum emollescit ac destruitur, variis morborum generibus non sine certo damno invalescentibus. Constat quoque, quod propter arctum inter corpus & animam commercium, hac male disposita & affecta, illud simul patiatur. Id quod maxime evenire solet, homine in passione affectuum flagrantiori constituto, vel, si terrena, quæ ambitio, avaritia & voluptas insatiabiliter appetunt, nimis admet & sectetur. Hinc ergo cupidines suas compescere studet homo Dei, eisdemque frenum injicit, ne justam orbitam trans-



transgrediantur, quo fit, ut successu temporis ipsa laudabilis consuetudo reprimendi iram indomitam, vanam hilaritatem & mœroris excessum, mentem reddat mitiorem & magis subactam; ut sanctus terrena contemptui habere adsuetum, ne eorundem illicita sollicitudo corpus cum mente exedat, ut hæc recti conscientia rideat fame mendacia, ne iisdem tranquillitas ejus in Domino concutiatitur; ut paucis contentus homo, periculum intemperantiae eo commodius devitet, & a morborum insultibus praestetur immunis, ut ferendis patienter afflictionibus magis magisque par sit, & calamitatibus omnibus obfirmato animo obviam procedere discat, incommoda hujus seculi pro levioribus, & gloria futura indignis reputans Rom. VIII. 18. & omnino certus, quod momentanea levitas oppressionis nostræ excellentissime aeternum pondus glorie nobis conficiat. 2. Cor. IV. 17. Atque hac ratione, dum de veris ac æternis commodis parandis consilia agitat, & collatis viribus spiritualibus ad sui ipsius ulteriorem renovationem & ampliores in vita spirituali profectus, sedulo utitur, fine sperato & optato non frustrabitur, nec excidet.

§. XX.

Facile nunc est ex iis, quæ ante dicta sunt, de felici eorum statu, qui vera sanctitate, qua animam & corpus, sunt condecorati, ferre judicium. E diametro ignorant prorsus hancce felicitatem & ab ea plane exulant irregeniti & profani, sive degant in statu legali, sive in statu securitatis; quippe qui voluptatem animaliæ, ex communione cum Deo arctiori resultantem, nunquam experti sunt, unde & nulla in ipsis ignoti cupido. Cum contra justificati, in sanctimoniac studio alacriter decurrendo occupati, ejus, quod agnoverunt,

H 2

boni,



boni, insatiabili cupidine jugiter flagrent, & vigiles
 sint ad exsequenda officia quævis sibi incumbentia in
 Deum, Proximum & seipso, virtuti scilicet summæ &
 unicæ ex animo dediti, quæ firma & perpetua incli-
 natione ac propensione mentis ad obœdiendum volun-
 tati Numinis, & omnia ejusdem præcepta pro virili
 observanda, absolvitur. Status hicce felicissimus, quem
 Apostolus *bonorum operum* statum vocat *Tit. III. 8.* nun-
 quam destituit possessorem suum, aliter ac honores &
 divitiæ cum aliis felicitatum temporalium generibus,
 quæ adoratores suos cito citius deserunt, & concepta
 fallunt spe, utpote per se fugacia & transitoria. Rege-
 nitus vero in vitæ sanctimonia per auxilium inhabi-
 tantis Dei perseverare potest. Hic enim tam gloriosus,
 quam gratiosus hospes, nunquam sanctis suis domiciliis
 subtrahit, quæ pro inexhausta sua bonitate largitus est.
 Sed, quoniam *fidus est, qui vocat nos, Deus I. Cor. 1. 9. 2. Thess. V.*
24. bonum potius opus, quod cœpit in nobis, perficit usque ad
diem Jesu Christi, Phil. I. 6. Cavendum interim sedulo, cum
 fieri possit, ut etiam regeniti, si vigilantia eorum divi-
 nis intentis non respondeat, cum fide sanctitatem vitæ
 sponte deserant, & per peccata præretica gratiæ divi-
 nae jaçturam faciant, ne temptationibus ac structis insi-
 diis Diaboli, Mundi & propriæ corruptæ carnis vietas
 palmas dent, quo minus ex excellenti sanctimoniae sta-
 tu in peccatorum & inde manantium miseriarum
 abyssum præter opinionem deturbentur. Faxit ter
 optimus maximus Deus, ut nemo segnis sit in acqui-
 renda, quam delineavimus hactenus, vitæ sanctitate,
 cuius complementum erit in inconcussæ & nunquam
 terminandæ felicitatis æternis habitaculis.

S. D. G.

